Gerson J. N.
1827.

DE

RABIE CANINA.

Thesis Berlin 1827

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS,

AD SUMMOS

UTRIUSQUE MEDICINAE HONORES

RITE ADIPISCENDOS,

IN

UNIVERSITATE LITERARUM BEROLINENSI,

DIE XVII. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXVII.

H. L. Q. C.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

NICOLAUS JOSEPHUS GERSON,

MALMUNDARIENSIS.

OPPONENTIBUS:

F. G. BRAUN, MED. ET CHIRURG. DR.,

H. D. ROTH, MED. ET CHIRURG. DR.,

J. G. H. L. SCHREIBER, MED. ET CHIRURG. DR.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO ATQUE PRAENOBILISSIMO,

FRID. THEOD. BALTZ,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI,
LEGIONI PRAETORIANAE BORUSSICAE MEDICO PRAEPOSITO,
SOCIETATIS ARTIUM SCIENTIARUMQUE TRAJECTINAE,
ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM UTILITATI PUBLICAE INSERVIENTIUM ERFORDIENSIS, SOCIETATUM NATURAE SCRUTATORUM HALENSIS ET MARBURGENSIS, SOCIETATIS MEDICO-CHIRURGICAE TURICENSIS ALIARUMQUE ORDINARIO, HONORARIO ET CORRESPONDENTI SODALI,

HUMANISSIMO AESTUMATISSIMOQUE

FAUTORI

NEQUE MINUS

OPTIMO PATRI,

JOANNI JAC. GERSON,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO PIOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

In numero morborum immenso, quibus genus humanum conflictatur, vix ullum reperire licet, circa quem tot facta et errores, quot circa rabiem accumulata sunt. Si nemini unquam error utilis esse potest, in arte medica vero semper malorum est foecunda origo; morbus, quem aggressurus sum, tristis istius veritatis conspicuum exhibet exemplum. Agyrtae eo facilius metu, quem morbus horrendus animis necessario incutit, foede abuti sibique vulgi ignari fidem conciliare possunt, quod auxilia artis medicae optime adhibita nonnunquam insufficientia conspiciantur; hinc fama exponenda est, qua ubique terrarum arcana adversus rabiem celebrantur. Medici salutis hominum studiosissimi, ex analogia persuasum habentes, contra rabiem specificum aeque ac contra syphilidem et variolas existere debere, in hoc detegendo huc usque laborem perseveranter consumpserunt; experientia autem eorum spem deceptam esse, admodum dolendum est, quinimo quod antilyssum existimabant nimiis lau-

dibus efferendo, saepe funestam insinuaverunt fiduciam, dum solum efficax remedium, curatio prophylactica localis omittebatur. Denique plurimi auctores miserrimum rabie correptum, tam terrificum bestiaeque rabiosae similem depinxerunt, ut saepe erga illum quaeque munera humanitati calamitatique debita, absque misericordia conculcata essent. Quibus consideratis de rabie dissertationem conscribere eo consilio plurimos errores, quantum possim, adgrediendi, praecipue superstitionem religiosam inveteratam, qua dirissimae sequelae exoriri solent, palam denuntiandi, in mentem venit. Quantopere id mihi successerit, Lector benevole, cum indulgentia dijudicare velis; si duntaxat consilium laudabile existimaveris, hoc mihi optima consolatio erit.

§. 1.

Rabies, a Graecis: λύσσα, κυνόλυσσον, (a κύων et λύσσα), φοβόδιψον (a φόβος et διψάω), ὑδροφοβία (ab ὕδωρ et φόβος), a Germanis: Hundswuth, Wasserscheu, a Gallis: rage nominata, est morbus peculiari contagio homini propagatus, quem ardor constrictioque in pharynge, sensuum aucta sensibilitas, fluidorum metus, convulsiones morsque modo subsequens, praecipue insigniunt. Ne cum variis morbis, ubi hydrophobia symptomatica est, confundatur rabies, hydrophobia κατ' ἐξοχήν, hydrophobia essentialis, aut contagiosa quoque nuncupatur.

HISTORIA.

§. 2.

Actaeonem, quem in cervum transformatum atque a canibus dilaniatum fabula fingit, rabie periisse censet illustr. *Sprengel* [1]). Quodcunque sit istius opinionis meritum, saltem antiquitati remotissimae rabiem innotuisse, e scriptis veterum elucet. Non constat vero, veteres Graecos illam in homine observasse, quanquam *Caelius Aurelianus* [2]) contrarium probare conetur. Juxta ipsum Democritus a nervorum affectione causam rabiei repetiit, et divus *Hippocrates* [3]) illam his verbis designare voluit: Οἱ φρενιτικοὶ βραχυπόται ψίφου καθαπτόμενοι τρεμώδεες ἢ σπασμώδεες. Cui sententiae *Aristoteles* [4]) rabiei ob-

---

[1]) Kurt Sprengel Gesch. der Medicin.

[2]) Acutorum morborum lib. III. Cap. XV.

[3]) Ἱπποκράτους κώακαι προγνώσεις.

[4]) Hist. anim. lib. VIII. cap. XXII.

noxios esse canes, homines vero a cane rabioso momorsos rabie non corripi, asserens repugnat. Declinante republica rabiem in genere humano Romae observatam atque a nonnullis medicis pro novo morbo habitam fuisse, e scriptis *Cael. Aureliani* patere videtur. A primis aerae christianae saeculis, ubi plerique medici rabiem confirmatam insanabilem jam existimabant, omnemque, contagii delendi causa, in curationem prophylacticam localem afferebant diligentiam, historia rabiei usque ad scientias regeneratas non profecit. Literis tandem in Europa ignorantiae tenebras discutientibus, in medicinam nova lux profusa est, studiosaque rabiei observatio historiam ejusdem novis locupletavit factis, ita ut hodie circa istum horrendum morbum immensa scriptorum copia existat, in qua ubertate nihilominus, etsi tot illustrium virorum labores magni faciamus, veritatis nos adhuc egenos esse fatemur.

SYMPTOMATOLOGIA.

§. 3.

Rabiei decursus duo stadia symptomatum gravitate distincta, stadium prodromorum et stadium hydrophobicum complectitur.

1. *Stadium prodromorum.*

Serius ocius post infectionem locus momorsus dolere incipit, cicatrix intumescens livida fit interdumque erumpens saniem subrufam secernit. Vulneris nondum cicatrice obducti margines subvertuntur et ex carne luxuriante pus ichorosum emanat. Dolor, neque pressione neque motu exacerbatus, ab extremitatibus in epigastrium, pectus et pharyngem, ubi constrictionis ardorisque sensum producit, progreditur, quin glandulae lymphaticae in articulis intermediis intumescant. Alias aeger solummodo torporem aut auram in membro momorso percipit, alias vero omnia haec symptomata desunt.

Eodem fere tempore aegrotus tristis, inquietus et morosus evadit, cephalalgia saepe atroci, virium languore, calore et frigore alternantibus, nausea, vomitu, obstipatione, siti et anxietate laborat. Agrypnia miser gravatur, aut si somnus adest, somniis horrendis acerbissimus efficitur. Oculi erubescunt, sensibus acutioribus factis, totum corpus dolore afflictatur. Haec sunt symptomata, quae hydrophobiae manifestae tres aut sex dies praegredi consueverunt.

§. 4.

2. *Stadium hydrophobicum.*

Sitis ardens mox accenditur, quam exstinguere tentat aegrotus; poculum, licet adspectu laticis horrens, arreptum labiis siccis simul admovet et ab iis sub dentium stridore removet; siti magis magisque urgente, hydrophobiam superare contendit, sed prius potum repulsit, quam os humectaverit; exinde constrictio pharyngis, angor, suffocationis periculum et convulsio totius corporis sequuntur. Faucibus ardentibus, aliquot aquae guttas nimium miser haurire non sustinet, cruciatus ejus Tantali supplicium superant. Metalli nitentis aut speculi adspectus, sonus acutus, venti urinaeque strepitus, quid multa? quaeque aquae imaginem revocant, novos hydrophobiae paroxysmos excitant. Ista symptomata interdum remittentia, aegrum, etsi non absque difficultate, bibere sinunt. Hydrophobi raro occurrunt, qui nisi aquam, saltem vinum rubrum, jus carneum, aut potum calidum frigido facilius haurire possint; aliis nonnunquam breves intermissiones aut mors imminens, uti in statu sano potare concedunt. In quoque quidem casu metus aquae minori aut majori gradu praesto est, unde *Celsus* [5]) conciso et ele-

[5]) De medicina. Lib. V. cap. XXVII.

ganti stylo solito rabiem definit: miserrimum genus morbi, in quo simul aeger et siti et aquae metu cruciatur. — Cetera hydrophobiae symptomata, non tam constantia, reditu vehementiaque maxime variant. Quae in priori stadio organa sensuum exhibent symptomata, nunc novum, facie distorsa modo pallida, modo rubente, incrementum adipiscuntur; oculi truces, fulgentes, photophobia laborant, aures susurrunt, levissimam auram cutis ferre nequit, quin corpus convellatur. Vox rauca, neque vero latratum referens, spiritusque singultibus interruptus, magis laboriosus et crebrior fit. Raro nocere studet aeger, uti nonnulli auctores contendunt, nisi vis illi interatur; nam ubi cupiditate mordendi capitur, adstantes, quibus sortem saepissime animam intimam movens conqueritur, uti caveant monet. Functiones sexus fere semper excitatae sunt, sic ut *Cael. Aurelianus* satyriasin et furorem uterinum pathognomonicis hydrophobiae symptomatibus referat. Hypochondriis dolentibus tumidisque vomitus nullum affert levamen. — Pulsus in principio normalis esse solet, in viris robustis plerumque durus, morte vero imminente parvus, irregularis debilisque evadit. — Cutis aret, paroxysmis intermittentibus madefit. Urina parca et rubra difficile excernitur. Salivam tenacem spumosam ori et faucibus haerentem deglutire non valens magno labore respuit hydrophobus, quae viribus deficientibus labia inquinat. Delirium si adest, postremo die duntaxat et raro furiosum exoritur. Respiratione lenta stertorosaque facta, extremitates frigescunt, denique sui ipsius conscientiam amittens aeger convulsionibus aut apyrexia fallaci conclamatur. Tam saevus est hydrophobia confirmata morbus; ut jam secundo tertiove die enecet, raro, tantummodo ubi leviora sunt symptomata, ad sextum usque diem mors retardatur.

DIAGNOSIS.

§. 5.

Varii plurimique morbi, in quibus hydrophobia symptomatica occurrit, cum rabie facile confunduntur, praesertim si aegrotus antea fortuitu momorsus fuerit; quod tot et tanta miracula auctorumque innumeras discrepantes sententias circa istum morbum prolatas explicare videtur. Quantacunque sit analogia, rabies nihilominus contagio peculiari, ad effectus prodituros aliquamdiu incubante, aeque ac decursu et morte non avertenda distinguitur.

Qui [6]) rabiem inter et tetanum traumaticum nullum esse discrimen disputant: a tetano maxillam immobilem reddi, aegrum balneis absque aversione uti, paroxysmos neque lumine neque strepitu vel aquae nitentiumque corporum adspectu provocari, porro tetanum in tropicis frequentiorem, quam in terris moderatis unicunque vulneri succedere posse, obliviscuntur.

Hysteria, morborum Proteus, rabiem nonnunquam tam dolose simulat, ut non parum sagacitatis ad illi larvam exuendam necessarium sit. Ne decipiamur, recordari oportet, hysteriam dentium stridore vehementibusque totius corporis convulsionibus, quas aura minima, vel solus laticis adspectus in rabie producere valet, nunquam stipari. — Cum dysphagia e vitio organico semper lente progrediatur, causa eam efficiens diu in occulto latere nequeat, cibumque potu difficilius aeger deglutiat, ab hydrophobia non aegre dignoscitur.

DE SIGNIS, QUIBUS CANIS RABIOSUS COGNOSCITUR.

§. 6.

Medici momorsum curaturi plurimum interest, investigare, an canis, qui momorderit, rabiosus fu-

[6]) *Girard*, Essai sur le tétanos rabien.

erit nec ne; saepe vero, cum canes plurimis fere eadem ac rabies symptomata exhibentibus morbis obnoxii sint, difficile judicium fieri necesse est, quod, illo praepropere jamjam interemto, multo gravius redditur.

Cani nihilominus diffidendum, qui exutis moribus, tristis, solitudinis obscuritatisque amans factus, potu ciboque se abstinuerit, deinde subito e domo heri, cauda inter crura retracta, capite auribusque demissis, coma erecta, rubra ex ore spurco hiante protrusa lingua aufugerit. Cursus modo celerior, modo tardior; alius recta via nihil odorans, sine mora pergit, quin fossae aut rivuli illum impediant; alius huc illuc incertus errat, animalia quaecunque sibi obvia, hero nequidem parcens, injussus irruit, ideoque a canibus sanis, qui ululantes aufugiunt, timetur. Etsi sitiens, non potat, subinde paroxysmis lacessitur, quos minae, aquae adspectus et colores nitentes revocant. Vox rauca et fremens praecipuum rabiei signum sistit. Morbo ad finem vergente, ingressus lentior vacillat, viribus demum deficientibus succumbit et quarto quintove die convulsus interire solet.

Multum abest, quin omnia haec symptomata in unoquoque casu non praesto sint, ut quae rabiei characteristica existimantur, non nunquam deesse videantur; sic canes lupique rabidi flumina transnatantes, aquamque appetenter, praesertim brevi ante lethum, potantes animadversi fuerunt. *Astruc* [7]) lupum rabiosum conspectum fuisse asserit, qui plurimis momorsis postero die crassum canem pecuarium vorabat. Ex hujusmodi exemplis colligere licet, in bestiis aeque ac in homine intervalla lucida dari, in quibus hydrophobia minuitur aut plane

[7]) Dissertatio de hydrophobia. Montis pessulani 1719.

cessat; vel rabiem absque aquae metu existere posse. Quocontra accidere potest, ut canis plurima rabiei signa prae se ferens crudeliter interficiatur, quin unquam rabiosus fuerit.

Huc praesertim canes pertinent, qui immaniter mulctati aut laesi feroces redduntur, illique, qui dentibus erumpentibus aut odontalgia [8]) laborantes a mordendo se continere vix possunt, huc etiam referendae sunt illae, quae catulis ereptis mansuetudinem solitam exuunt.

Temerarium igitur et ingratum est, fidelem hominis socium sub laevissima suspicione illico interficere, coërcendus potius atque aliquot per dies observandus esset, ut certum fiat, utrum sanus an rabiosus sit, quae circumspectio eo utilior est, quod metu hydrophobiam symptomaticam exitialem procreari, nisi momorsi imaginatio anxia sedari possit, testimonio *Barbantini* confirmatur, asserentis: juvenem a cane momorsum, quinto die postea hydrophobiae gravia symptomata exhibuisse, quae, eodem cane sano in cubiculum adducto, protinus cessaverunt.

Cum, cane etiamnum vivo, rabies aegre dignoscitur, gravior sine dubio fit difficultas, si post morsum illico enecatus fuerit. Quas ad hanc metam assequendam vias indicaverunt veteres medici, absurditatis causa nullam mentionem merentur. *Petit* [9]) secundum suam experientiam suadet, ut panis aut caro saliva canis enecati inquinata sano cani praebeatur, quod si ululans edere recusaverit, certe interfectus rabidus erat; sin secus, non est quod timeatur. Quod consilium nimis incertum est, quam ut illi fides habeatur; nam canis esuriens cibum non odorans sine mora vorabit, expletus vero non edet. Contra contagium inserendum opponere licet, in-

[8]) *Duhamel* Journal de médecine. Tome 37. p. 227.

[9]) Journal de médecine, tome 72. p. 230. 1787.

fectionem plerumque non succedere, sin secus, retardatam medico nihil prodesse.

Cadaveris obductio, quam nonnulli commendant, minus edocere valet, dum vestigia a rabie relicta ab aliis quoque morbis imprimi consueverunt.

OBDUCTIO CADAVERUM.

§. 7.

Cadavera celeriter putredine correpta, maculis nigris lividisque obducta tetrumque odorem exhalantia *Boerhaave* [10]), *Morando* [11]) et *Brogiani* [12]) animadverterunt, quae phaenomena *Rust* [13]) aliique non observaverunt. — Nervos vulneri finitimos eorumque vaginas inflammata, substantiamque medullarem decoloratam invenerunt. — Cerebrum nonnunquam gelatina obtectum, membranas meningeas et plexus choroïdeos saepe inflammata, serum in ventriculis cruentum et medullam aequo molliorem multi conspexerunt anatomi. — Cavum oris siccum albidumque, et glandulae salivales illaesae reperiuntur. Pulmones, bronchiorum, tracheae et laryngis membrana, muco spumoso saepe obtecta; longe rarius vero pharynx, oesophagus et ventriculus phlogoseos indicia *Boerhaave* [15]), *Morgagni* [16]), *Trolliet* [17]) multisque aliis exhibuerunt. — Trisplanchnici, pneumogastricique neurilema inflammatum, serumque continens exsudatum nonnullis occurrit. — Cordis auricula

---

[10]) In *van Swieten* Commentar. §. 1140.

[11]) Della cura preservativa della rabia canina.

[12]) De veneno animant. p. 108.

[13]) Magazin für die gesammte Heilkunde, t. I. p. 116.

[14]) *Metzger* (*Autenrieth*) de hactenus praetervisa nervorum lustratione in sectione hydrophoborum. Tubing. 1802.

[15]) Opera omnia. p. 215.

[16]) De sedibus et causis morborum, ep. 8. art. 23. sq.

[17]) Dictionaire des sciences médicales, art. rage p. 95. auct. *Louyer* — Villermé et Trolliet.

ricula dextra, vasa capitis et colli sanguine atro valdeque fluido turgent. Quae phaenomena cadaveris autopsia plerumque tradit. Ne unam quidem praeternaturalem partium constitutionem *Babington* [18]), *Portal* [19]) et *Heim* [20]) animadverterunt.

AETIOLOGIA.

I. De causa proxima.

§. 8.

Quo tempore scientia medica in cunabulis jacebat, medici problematis arduitate non deterriti rabiei naturam exponendam aggressi sunt. Opiniones inde ad nostrum aevum usque, prout hoc aut illud systema vigebat, semper variantes, medico parum commodi attulerunt, quum nullus rabiem confirmatam se sanavisse gloriari audeat. Quamcunque theoriam, etsi sexcentis plus dentur, omnibus rabiei symptomatibus dilucidandis hucusque imparem esse persuasi, errorumque copiam, notionum limites transeundo, adaugere nolentes nihil ponendum esse censemus, nisi quod rabies contagio nervis infestissimo exoriatur, cujus actione progrediente, plurima organa, praecipue respirationis viae cerebrumque inflammantur.

II. De causis proëgumenis.

§. 9.

Infectionis conditiones non solo in contagio, verum etiam in organismo inficiendo haerere pathologia recte docet. Quemadmodum virus venereum, morbillosum, aut variolarum nonnullis parcit, ita virus hydrophobicum saepe iners esse constat. Fieri quidem potest, ut, vestibus bestiae dentes abstergentibus, nihil salivae in morsum penetret; si vero fo-

---

[18]) In mediz. Beiträgen. Th. 1. p. 218.

[19]) Observat. sur la nature et le traitement de la rage.

[20]) In *Selle's* Beiträgen etc., Th. 2. p. 143.

cus nudus, quaque ratione externa infectioni favente, momorsus sit, quin rabies exoriatur, tum receptivitatem deesse jure concludimus. Receptivitas in omnivoris minor, quam in carnivoris, inque illis major ac in herbivoris, experientia confirmari videtur.

III. De causis procatarcticis.

§. 10.

Rabiem peculiari contagio, quod hydrophobicum nuncupatur, homini propagari constat. Quod nonnulli medici negantes, rabiem aut metu effectam [21]) aut nervorum traumatica irritatione, tetani instar genitam contenderunt [22]). Quarum si prior opinio vera esset, non solum infans in cunabulis, sed etiam asinus aliaque animalia intellectus expertia, rabie non corripi possent; altera vero in eo peccat, ut rabiei originem absque morsu, vel saltem excoriatione praevia, exponere nequeat.

§. 11.

Contagium hydrophobicum in canibus plerumque sponte gigni constat, quod de lupo, vulpe et fele, carnivorisque in genere asseri potest. Certum vero non existit argumentum: hominem, herbivora et aves, sine infectione praevia rabie corripi. Carnivororum saliva rabiem propagari non inficiari licet, herbivoris et avibus autem, quodquod antiquiores monuerint, eandem facultatem non inesse e variis exacteque ab *Huzard* [23]) institutis experimentis verosimillimum videtur. Salivam hominis rabiosi innocuam esse, non aeque probabile est; quamvis *Rofsi* [24]) eo audaciae progressus sit, ut sibi illam

---

[21]) *Bosquillon*, mémoire de la société médicale d'émulation, 5. année 1804.

[22]) *Percival* et *Girard*.

[23]) *Salzburger* medizinisch-chirurgische Zeitung 1800. B. 1. p. 431.

[24]) Trattato element. delle operatione chirurgiche. tom. 2. 1804.

impune pluries insereret. Experientiae *Vaughan, Giraud* [25]), *Babington, Cline* [26]) plurimorumque aliorum, qui canes, lepores et gallinas ope salivae hominum rabie in postremo stadio laborantium, inficere incassum tentaverunt, *Breschet* et *Magendie* [27]) repugnant. Hi, undevicesimo die mensis Junii anni MDCCCXIII. salivam hominis rabiosi in linteolum susceptam, viginti passibus a lecto aegroti duobus sanis canibus inseruerunt, quorum alter vigesimo septimo mensis Julii rabiosus factus duos alios momordit, rabiemque alterutri vigesimo sexto mensis Augusti communicavit. Quibus periculis multos adfuisse medicinae studiosos silentio non praetermittamus.

Demta hac omnibus numeris absoluta experientia, nullam aliam noscimus, qua hominis rabiosi saliva virulenta invicte probetur; nihilo secius hydrophobiae ab homine altero alteri propagatae, certum exemplum hucusque non exstat.

Rabiem morsu bestiae aut hominis sani produci posse antiquiores recentioresque medici, quorum multi hominis rabiosi salivam contagiosam negant, exemplis adfirmant, quibus attente perpensis, analogiam rabiei plurimis cum morbis errori ansam praebuisse animadvertitur.

Van Swieten [28]) juvenem Italicum ira abreptum sibi digitum momordisse, et viginti quatuor horis praeterlapsis rabie mortuum memorat.

Marc. Malpighi matrem e morsu filiae ejus sub epilepsiae paroxysmo hydrophobia interiisse monet. Amasius, amore offenso iratus, sibi digitum momor-

---

[25]) Abhandlungen für praktische Aerzte. B. 5. p. 47.

[26]) *Fothergill*, Abhandlung über die Natur der Krankheiten, die durch den Biſs etc.; aus dem Engl., von *Werner*. p. 164.

[27]) Dissert. inaugur. sur la rage par *Busnout*. à Par. 1814.

[28]) Commentar. §. 1130.

dit, atque paulo post hydrophobus obiit [29]). Quidam a gallo gallinaceo pugnante leviter laesus, in rabiem venisse dicitur [30]). Quinimo piscium et aranearum morsus rabiem produxit! —

Quamvis de sinceritate hujusmodi facta memorantium non dubitemus, tamen tetanum traumaticum vel hydrophobiam symptomaticam ab iis pro rabie habitam fuisse ex hisce conjiciendum est. Rabies enim non statim post morsum exoritur, partesque sensibiles dilaceratae et contusae tetanum nonnunquam producunt. Qui vero ira incensi se ipsi momorderunt, irae, neque vero vulneris sequelis forte interierunt. Adjice: ab animali mordente, morbum contagiosum, quo non laborat, inseri non posse, cujus si saliva contagiosa esset, potissimum ipsum infici debere. Denique dentem animalis furentis virulentum esse, non concedendum est, quum non modo canes, sed etiam galli gallinacei e cruentis vulneribus, flagrante Marte, mutue illatis, in rabiem non incidant.

§. 12.

Medici problema, quibus e causis rabies spontanea gignatur, solvere studentes, cum nunquam non in canibus investigent, alias rabiei spontaneae obnoxias bestias non respicientes, in errorem inducantur necesse est.

Qui hiemis frigori, aestatisque calori summam vim in rabie spontanea provocanda adtribuunt, illam in mense Januario et Augusto non saepius, quam aliocunque tempore, et in terris calidis aeque ac in frigidis raro observari non meminerunt. *Volney* [31]) rabiem in Aegypto non occurrere, confir-

---

[29]) *Gallet*, Histoire de la société royale de médecine. 1783. 2 partie, p. 59.

[30]) *Cael. Aurelian.* op. cit. lib. 3. cap. 9.

[31]) Voyage en Syrie, tome 1.

mante *Larrey* [32]) testatur. In finitimis promontorio bonae spei terris, teste *Barrow* [33]), rarissima est, quod de la Fontaine de rabie in Polonia asserit, quum et *Hunter* [34]) illam intra quadraginta annos non semel in Jamaica observatam memorat.

Pastus et potus inopia aeque ac alimenta putrida ab aliis immerito accusantur, cum in terris calidis, ubi canes tanta siti et esurie simul premuntur, ut cadavera humi jacentia vorent, rabies raro observetur, qua sub conditione canes nutriri possunt, quin unquam rabies eos invadat.

Denique sunt medici, quorum praecipuus *Hildebrand* [35]), qui e cohibito Veneris stimulo rabiei originem derivent, experientia contra docente, non modo in canibus castratis et catulis rabiem sponte gigni, sed etiam oestri Veneris tempore non saepius quam alias apparere. —

A quibus igitur conditionibus rabiei spontaneae genesis dependeat, nos penitus fugit, quum observationes et pericula hucusque facta hoc mysterium nondum revelare potuerint.

§. 13.

De hydrophobici contagii vehiculo auctores dissentiunt; veterum quam plurimi carnis et lactis usu, sanguine, sudore, concubitu et respiratione rabiem propagari contendunt, quam sententiam ex humoralis pathologiae doctrina natam, hodierni repudiantes, veterum argumenta contrariis oppug nant [36]). Omnes fere coaevi salivae duntaxat virus

---

[32]) Mémoires de chirurgie militaire, tome 2. p. 226.

[33]) Travels into the interior from the cape of Goode Hope.

[34]) On the nature ant treatment of tetanus and hydroph. etc. Dublin 1817.

[35]) Ein Wink zur näheren Kenntnifs und sicheren Heilart der Hundswuth. Wien 1797.

[36]) In *Rust's* Magazin für die gesammte Heilkunde, Th. 1. p. 165. sqq.

hydrophobicum inesse consentiunt, quod *Trolliet* [37]) nihilo secius in dubium revocans bronchiorum muco potius tribuendum esse censet, in quam theoriam analogia, cadaverumque autopsia adductus est. Cum ipsi omnes glandulae salivam secernentes nunquam laesae, in viis respirationis vero inflammationis vestigia semper occurrerint: virus hydrophobicum non minus quam variolarum, syphiliticum ceteraque ex inflammato organo exoriri, et mucum aëre in spumam conversum, convulsivaque respiratione in os et labia propulsum, ejusdem vehiculum esse concludit. — Muco virus inesse negare non audentes istius ingeniosae opinionis meritum experientiae pendendum relinquimus; nihilo minus salivae venenum vindicemus, cum rabies hanc copiosam producat, et ad nocivam secretionem ciendam non necessario inflammatione opus esse compertum est. Porro nonnulli medici fide digni se inflammationem non reperiisse monent, quae siquidem nunquam non adesset, mucus non nisi illa remittente secretus, ope tussis necesse expelleretur.

§. 14.

Ubi de via, quanam contagium hydrophobicum in organismum penetret, agitur, alii infectione cute non saucia favent, alii excoriationem non animadversam illorum errori ansam praebuisse jure censent. Longe verisimilius contagium per membranas mucosas illaesas penetrat, etsi auctorum experientia anceps sit. *Enaux* et *Chaufsier* [38]) se virum quendam e saliva canis rabiosi in labia suscepta rabie infectum vidisse tradunt. Sartrix quoque quaedam, inquit *Cael. Aurelianus* [39]), quum chlamydem

---

[37]) Nouveau traité de la rage.

[38]) Méthode de traiter les morsures des animaux enragés etc. Dijon 1785.

[39]) Opus citatum.

scissam rabidis morsibus, sarciendam sumeret atque ore stamina componeret, et lingua pannorum suturas lamberet, quo transitum acus faceret faciliorem, tertio die in rabiem venisse memoratur. Ex adversa parte *Vaughan* [40]) de nutrice infantem continuo sine incommodo oscultante mentionem facit, et, si *Bosquillon* [41]) fides habenda est, regiones dantur, ubi homines vulnus illico post morsum exsugunt.

Circa rabiem morsu insitam omnium opiniones reconciliantur; modum vero excedunt, qui morsum rabiei inserendae necessarium disputant; nam si experientia tacuisset, ratiocinium saltem contrarium persuaderet perpendenti epidermidem corii vix permeabile integumentum esse, quo ablato, contagium absorbendum, aut si mavis, nervorum irritationem non amplius cohibendam esse. —

DE CONTAGII HYDROPHOBICI NATURA.

§. 15.

Homo se ignarum confiteri pudens impenetrabilia naturae recondita exponere nititur, et pro veritate imaginationis effrenatae somnia substituit, hypotheses arti medicae raro utiles, saepius autem nocuas esse non reputans. Experientia igitur, theoreticorum judicatrix severa, illos saepe derisit, qui hydrophobici contagii naturam e vermibus, azoto, hydrogenio, Kali caustico, acido, gummi vel phosphoro constantem existimantes, pro sententia chemica vario remedio ad virus delendum usi sunt.

Quamvis materiae acres cum saliva mistae infectionem nonnunquam impediant, tamen anceps est: utrum contagio deleto an inflammatione provocata insitio irrita evaserit.

---

[40]) Cases and observat. on the hydrophobia. Lond. 1778.

[41]) Mémoires de la société médicale d'émulation, t. 5. p. 1.

§. 16.

Quonam in stadio morbi saliva vim contagiosam adipisci incipiat, et quamdiu retineat, certo non scimus. Plerique virus hydrophobicum jam in priori stadio, alii autem, analogia freti, in rabie confirmata duntaxat gigni probabilius contendunt; cum alia contagia nonnisi morbo ad culmen provecto exoriantur. Tempus, quo saliva contagiosa manet, termino quidem circumscribere non possumus, illis autem, qui virulentiam plurimis annis perseverare testantur, cum aër atmosphaericus contagia multo ocius destruat, jure diffidendum est.

§. 17.

Quantum temporis ad exciendam rabiem contagium requirit, varium est; animi pathemata deprimentia, calor, excessus in Baccho et Venere, quaeque organismum debilitant illam accelerare videntur. Plerumque decimum quintum inter et quadragesimum diem prodit; intervallum tamen diutius protrahi potest. *Boyer* [42]) adolescentem duodecim annorum, hydrophobia undecim menses post morsum morientem vidit. Observatio *Stark* [43]) asserentis se post tres annos morbum exorientem animadvertisse, maxime dubia est; quid igitur de antiquioribus censendum est [44]), qui rabiem viginti, triginta, imo quadraginta annis post morsum prodiisse testantur!

PROGNOSIS.

§. 18.

Quodcunque vulnus dente animalis rabiosi illatum grave existimandum est, attamen avertendae

---

[42]) Traité des maladies chirurgicales et des opérations qui leur conviennent, tome 1. p. 444.

[43]) Handbuch zur Kenntnifs und Heilung innerer Krankheiten, etc.

[44]) *Guainerus*, *Le Conte*, *Dodonaeus*, *Algaharavius* in

rabiei spes pro variis rationibus aut crescit aut minuitur. Quo plures sunt plagae, eo majus periculum fit; majora verumtamen vulnera nonnunquam minus mala quam parva sunt, quae brevi tempore sanata saepe momorsum in funesta securitate relinquunt, quum illa sanguine effuso, diuturnaque suppuratione necessario praevia, non prius cicatrice obducuntur, quam contagium remotum sit. Quandoquidem bestiae dens virulentus vestibus praecipue laneis mundatur; prognosin partibus nudis momorsis pejorem fieri constat, quapropter, ceteris paribus, morsus lupi canis morsu gravior est, cum ille in faciem irruere soleat, hic autem extremitates obtectas inferiores saepissime laedat. Quae propter nervos vasaque majora nudata, cauterisationem non sinunt vulnera, gravissima sunt; nam demto rabiei periculo, tetanum et trismum, dirissimos morbos provocare possunt, quas ob causas articulorum, oculorum et faciei laesiones graviores redduntur. Quo promptius post morsum congrua curatio adhibita fuerit, eo certior fit prophylaxis, malum vero est, si vulnere sine suppuratione celeriter sanato, ad remedia localia sero confugiatur. Pavor, quem medicus non semper abigere valet, sensibilitatem excitando contagii vires adaugens prognosin pejorem efficit, imo ipse solus quandoque hydrophobiam symptomaticam procreat.

§. 19.

Rabiem confirmatam omnium pessimum omen esse nemo unquam negavit; ubi vero quaeritur an absolute lethalis sit, medicorum opiniones rursus discrepantes animadvertimus. Dissidium falsa diagnosi exortum esse valde suspicari licet, cum hydrophobiam symptomaticam inter et rabiem maxima

---

Henke's Handbuch der speziellen Pathologie, 2. B. p. 374. Berlin 1808.

similitudo intersit, remediorumque variorum, quibus varii rabiem sanari asserunt, reiterata pericula efficacitatem cheu! non confirmant. Rabiem omnium morborum horrendissimum esse e symptomatibus expositis luculenter patet; nonnunquam colore atriori temere depingitur, ita ut insultationis aut infectionis metu amicos consanguineosque removente, hydrophoborum miseria exasperetur; quid? impietas eo usque progressa est, ut Dei ministri ultima religionis solatia illis recusarent, imo, horribile dictu! sub lecti stragulis nefarie ipsos haud raro suffocatos audiverimus.

GENERALIA DE HYDROPHOBIAE CURATIONE.

§. 20.

Ex viginti circiter saeculis medici maxima laude digni, specifico contra rabiem revelando hucusque incassum operam navaverunt. Saepenumero nimia fiducia temere in majus celebrata remedia adhibentur, et momorsi, quos curatio prophylactica localis servaret, rabie intereunt. Fraudatores ubique pavore, quem rabies incutit, abutentes vulgi credulitatem foedae aviditati tributariam reddunt. Quis credat in hoc culto aevo, longe lateque cujusdam Sancti reliquias et phylacteria contra rabiem in honore esse? — sic undique homines, auxiliis artis medicae contentis, Sanctum-Hubertum in Arduenna ad auxilium patroni hujus oppiduli invocandum adeunt, quod hoc modo presbyter impertitur [45]), ut in levem incisionem fronti momorsi factam herbam acrem, neque vero, uti vulgus credit, stolae filum Sancti inserat, deinde caput fascia vinciat, regimenque per quadraginta dies observandum praecipiat. Nona die fascia ablata in choro

[45]) Revue encyclopédique, cahier de janvier 1820.

ecclesiae solemniter crematur, ibique convalescentia cum pompa celebratur; et quadragesimo die elapsa curatio absoluta est. Regimen, aegrotum se abluere, in speculo aut in aqua se contemplari, sive alia lintea induere vetat; praeterea quotidie eadem tessera edat, incedendo directe prospiciat, neque vero vinum album bibat.

Plurimos a cane rabioso momorsos, quanquam Sanctum-Hubertum adiissent, rabie correptos vidi, attamen quodcunque malum accidat, omisso aut neglecto regimini culpa imputatur, ita ut calumnia et ignorantia permansurae superstitioni prosint. Si ad rabiem avertendam sola imaginatio physicis remediis efficacior esset, ejusmodi caerimonias religiosas sane non vituperarem, cum tamen funestissimae sequelae exoriantur, haec barbarorum temporum pia fraus non diutius toleranda videtur.

§. 21.

Cum agyrtae, gravioris lucri gratia, nonnisi contra periculosos aut insanabiles morbos remedia praedicent, non mirandum est, arcana contra rabiem diu celebrata et aegros, quos periculum credulos reddit, saepe deceptos esse.

Quamdiu arcanum non revelatur, virtutes ejus ad astra feruntur, compositione vero divulgata, praestigia evanescunt et vindictae studio idolum subvertitur. Dolus nihilominus sempiternus erit, dum semper et ubique amentes sunt et nunquam homines, qui hos decipiant, desiderabuntur.

§. 22.

Medicamina prophylactica, quorum plurima absurda, multaque inertia, ex tribus naturae regnis sumpta fuerunt. Cum post morsum bestiae rabidae, nulla curatione adhibita, rabies saepe non exoriatur, pro effectu prophylactici habitum fuit, quod fortunae erat, mendaxque fama illa fastuoso antilyssorum

nomine decorat. Supervacaneum est illa hic enumerare, dicere sufficiat omnibus, quaecunque sint, diffidendum et nunquam curationem localem prophylacticam omittendam esse. Plurima eorundem tamen, qualia emetica, purgantia, phlebotomiam, balnea, antispasmodica, secundum indicationes secundarias adhibenda esse censeo. Ubi mordentis bestiae rabies non evicta est, illam praejudicare et juxta hanc sententiam momorsum curare praestat.

CURATIO PROPHYLACTICA LOCALIS.

§. 23.

Cujus cum efficacitas experientia splendide confirmatur, summa cum sedulitate adhibenda est. Contagium vulneri insitum removere aut delere intendit, quod excidendo, amputando, sugendo, abluendo aut suppuratione et cauteriis efficitur.

1. Excisio illico post morsum facta certissimum prophylacticum existimandum est, si partium momorsarum natura illam permittit, ita ut contagii nihil in vulnere remaneat. Morgagni ultra vulneris limites excisionem circumducere suadet. Quanquam celeberrimi viri cetera prophylactica illi postposuerint, tamen solummodo in partibus carnosis, ubi nervorum vasorumque praecipuorum laesio non pertimescenda sit, adhibendam censeo. In locis more nudatis foedam deformitatem relinquit, quae alia methodo quantum fieri possit, praecipue in foeminis vitanda est.

Vulneris margines contriti, telaque cellulosa contusa, praesertim sanguine suffuso, quo cauterii usus certior reddatur excidenda sunt. Sanguinis fluxus vulnus purgans, quamdiu non immodicus, non cohibendus est.

2. Amputatio aeque ac excisio, sat cito in usum ducta, rabiem certo avertit. Nihilominus extremum sistit remedium, ad quod in genere non confugiendum erit, si mitiori modo aeger servari possit. Digiti manus aut pedis amputationem, non gravem mutilationem relinquentem, absque haesitatione, aegro consentiente, perficere licet; ubi vero de crassioris membri amputatione agitur, nonnisi in ipsa ultima salus sit, omnibus rite perpensis, suscipienda est. Partes molles dilaceratae et contritae, nervi vasaque membri praecipua ita graviter laesa ut excisio perfici nequeat, amputationem requirunt.

3. Veteres nonnullique recentiorum ad contagium eliminandum valde plagam commendaverunt sugendam, quod non modo fastidiosum est, verum etiam sugenti praecipue si in gingivis, palato, aliave oris parte ulcus habet, periculosum esse potest; quapropter e therapia rejiciendum videtur, eo magis, quod cucurbitae sugendi locum explere possunt, ubi ex illius usu aliquid utilitatis speratur.

4. Vulnus abluendum maximo usui esse unusquisque fatetur, imo experientia [46]) semel docuit: plurimorum hominum ab eodem lupo rabido momorsorum illos incolumes remansisse, qui redeuntes fluvium vadaverunt, ceteros vero, qui ponte trajecerunt, rabie correptos fuisse. Quot opiniones diversae circa chemicam contagii hydrophobici naturam exstiterunt, tot varios latices ad plagam abluendam commendaverunt medici; inde alii vinum, alii acetum cum aqua, alii sal culinare aut kali carbonicum aquae admixtum, hypothesibus satisfaciendi gratia anteposuerunt. Aqua mera, tepida ceteris praeferenda ex eo videtur, quod ubique in promptu

---

[46]) Recueil périodique de la société de médecine, t. 1. p. 113.

nullum organon, ne oculum quidem offendens, sanguinis fluxum excitet, et contagium solvere valeat. Vulnus quam promptissime, et metu, ne paululum irritetur, remoto, abluendum est, quo postea cauterii usus certior fiat.

5. Quanquam in rabie praecavenda suppurationis effectus diverse exponatur; utilitas nihilosecius ex eo constat, quod vulnera profunda, priusquam cicatrice obducuntur, diu suppurantia, rabies rarius, quam vulnera brevi tempore sanata subsequatur. Varia medicamina, qualia hydrargyrum oxydatum rubrum, pulvis cantharidum, liquor stibii muriatici aut unguentum digestivum, puri provocando prodesse possunt: quodnam ex hisce eligendum plagae natura indicat. — Cum rabies intra sex hebdomades apparere soleat, plerique medici suppurationem ad quadragesimum usque diem protrahendam esse existimant; revera, dirissimis saepissime ex incuria exorientibus sequelis, scrupulosissima diligentia non nimis commendari potest.

6. Ferrum candens artis medicae patres tanquam remedium, quo nullum praestantius ad virus in vulnere delendum, posteritati commendaverunt. Cujus si celebritatem nonnulli recentiores detrectare velint, illorum timiditas accusanda est, cum illud non tanta audacia, quanta veteres, quorum fiducia raro decepta fuit, adhibeant. Honesto cuidam sacerdoti, teste *Richerand* [47]), in rabie avertenda valde celebrato, animalia hominesque a rabiosis momorsi a triginta leucis curandi adducebantur. Clavem ferream crassam, enormem rudemque possidebat, quae coelitus lapsa credebatur, qua candente vulnus penitus adurens, fere semper rabiem, avertebat.

---

[47]) Des erreurs populaires relatives à la médecine. p. III. Paris 1812.

Ne quid contagii ignis actionem evadat, summopere in ferri candentis usu circumspiciendum est: plurima variae formae candentiaque cauteria in promptu esse debent, vulnus antea accurate abstergendum, ejusque atria cultro rite dilatanda sunt. *Van Swieten* quo ignis profundius penetret, escharam scarificare, iterumque adurere suadet. Cranium, articuli, nervi vasaque majora cauterium actuale respuunt, in cavo oris contra nullum aliud remedium ejus vices explere valet.

Quanquam adustio ferri candentis ope minorem dolorem inferat, tamen cum plerisque aegris terrorem majorem incutiat, ad causticorum usum necessario refugiendum est.

7. Caustica nullam efficientia escharam, actioneque, facile regenda, quocunque et altius penetrante, ferro candente in genere praestantiora videntur. Oxydum hydrargyri rubrum, acida concentrata mineralia, praecipue lapis causticus, commendantur, quibus Franco-Galli liquorem chloreti stibii praeponentes hoc modo adhibendum praecipiunt: plaga cultro rite dilatata, contritis partibus excisis et ablutione peracta, turunda illo liquore imbuta, partibus sanis ab ejus actione munitis, vulneri illico imponitur et splenio fasciaque continetur; sin vero vulnus leve sit, penicilli ope liquorem inferre sufficit. Sex horis praeterlapsis, causticum suos edidit effectus, quibus non sufficientibus rursus ad ejus usum recurrendum est.

§. 24.

Prout vulneris rationes sunt variae, variam quoque curandi methodum postulant; ita arteriarum nervorumque truncos, capsulas articulares, tendines majores non butyro antimonii arrodere, sed pulvere cantharidum conspergere licet. Capite laeso, loci

momorsi, adeo omnes capilli, ne minimae plagae oculos aufugiant, tondendi sunt. Os nudum radatur antequam caustico arroditur. Labiis aut palpebris momorsis non parcere licet, sed vulneris margines, quantum res poposcerit, excidantur, et in quocunque casu suppuratio diu sustineatur.

Si, vulnere jam cicatrice obducto, aeger tandem ad medicum confugiat, quamdiu rabies non eruperit, de salute ejus non desperandum est, cum virus sub cicatrice diu iners latere soleat. Cuti causticum illico inferre sufficit, si vulnus leve fuerit, sin secus, cutis prius decussatim cultro dividenda erit. —

DE RABIEI CONFIRMATAE CURATIONE.

§. 25.

Quanquam medicus curationem localem opportune et rite adhibuerit, omnesque rationes hydrophobiae erupturae faventes amoverit, nonnunquam tamen accidit, ut momorsus in rabiem deveniat. Quo in casu medicus bene cordatus aegrum non deserit, quem nisi servare, saltem dolores ad mortem usque levare potest. Formulas magisterias omniaque tanquam antidota contra rabiem confirmatam praedicata remedia, qualia hydrargyrum sub omnibus formis, alkali volatile, acidum muriaticum oxygenatum, anagallis, belladonna, lichen cinereus terrestris, scutellaria lateriflora, lapides cancrorum, meloë proscarabaeus, cantharides, balnea multaque alia, quorum enumeratio longior esset, silentio transeo. — Curatio mere symptomatica est: in cubiculum obscurum et tranquillum collocatur aeger, et ab eo quidquid sensibilitatem excitatam offendit, sedulo removetur; furens blande pertractandus modo, quo

quo non laedatur, vinciendus est. Si quid bibendum poscit, in vasculo opaco et obtecto potus praebetur. Prout pulsus plenus, durus, et aegri vires requirunt, venaesectio instituenda et reiteranda est; deinde ad sensibilitatem obtundendam narcotica et antispasmodica: moschus, camphora, aqua laurocerasi et opium larga manu ministrentur, quae, nisi deglutiri possint, clysmatum ope injiciantur.

VITAE CURRICULUM

E

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS

DECRETO ADJECTUM.

Ego NICOLAUS JOSEPHUS GERSON anni millesimi septingentesimi nonagesimi noni die vicesimo tertio mensis Novembris Malmundarii natus patre optimo JOANNE JACOBO GERSON et matre carissima e gente DEHEZ adhuc gaudeo. Ab anno MDCCCX usque ad annum MDCCCXIV gymnasium sub Franco-Gallis Malmundarii florens frequentavi, quo diremto, LACHAPELLE, sacerdos venerabilis literas, quae ad studia academica viam muniunt, per quadriennium me docuit. Anni MDCCCXVIII mense Octobri seminarii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani alumnorum numero adscriptus, per octo semestria utriusque medicinae studio me tradidi. Quo tempore praeterlapso, per undecim menses in nosocomio caritatis Berolinensis medici inferioris munere functus sum. Praelectiones virorum eruditissimorum, quorum memoria semper grato animo mihi colenda erit, hae sunt: de chemia, physice et pharmacia Illustr. HERMBSTAEDT et Cl. TURTE, de botanice atque historia naturali Illustr. LINK disserentes audivi. In anatomia universa theoretica neque minus in arte cadavera dissecandi Illustr. RUDOLPHI, Illustr. KNAPE et Cl. ROSENTHAL me instituerunt. Entozoorum historiam

encyclopaediam medicam, anatomiam organorum sensuum et anatomiam comparatam Illustr. RUDOLPHI, pathologiam et semioticen Cl. FR. HUFELAND mihi tradiderunt. De physiologia Illustr. RUDOLPHI, KOREFF et Cl. ECK disserentes; pathologiam specialem et praelectiones de morbis syphiliticis Illustr. HORN, artem formulas medicas concinnandi et anthropologiam forensem Illustr. KNAPE audivi. In therapia ab Illustr. CH. W. et Cl. FR. HUFELAND edoctus sum. Chirurgiam tam generalem quam specialem, nec minus akiurgiam, Illustr. RUST, Gener. DE GRAEFE et Cl. KLUGE mihi tradiderunt. Cl. JUENGKEN ophthalmiatricen et Cl. KLUGE artem obstetriciam et fascias applicandi praecepta mihi exposuerunt.

Exercitationibus clinicis, tum medicis, tum chirurgicis, Illustr. HUFELAND, RUST, Cl. KLUGE et NEUMANN interfui.

Elapso hoc lustro ad exercitum missus medici centuriati munere fungor.

Tentamine examineque rigoroso, coram gratioso Medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in utraque medicina honores rite in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Nullum exstat virginitatis criterium.

II.

Morborum crises nego.

III.

Suppuratio sine inflammatione exoriri potest.

IV.

Nullum unquam systema arti medicae profuit.